



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XVII. De Immunitate, & Asylo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

Episcopi jussis subſciantur? Similiter Latinus Sacerdos transiens per regiones Græcorum, aut Græcus per Latinas Ecclesias ritu proprio libere utitur, ac pane azimo, aut fermentato. Respondetur in his, cæterisque similibus ab ipsis Episcopis, ac Synodis statutas esse exceptiones, ne in contrahendo matrimonio, aut Ordinibus suscipiendis fallacias fraudesque improbi molirentur: ideoque in istarum observatione leges Territorii potius impleri, quam frangi.

Ut celebrent papiter cum Latini, tum Græci proprio ritu servato, decrevit ad vitandam utriusque Ecclesiæ scissuram Synodus Florentina. Quod autem sancivit saluberrima Ecclesiæ auctoritas, non lex Territorii est appellandum, sed commune statutum, ubique, ut S. Pater docet laudata Epistola, retinendum. De Clericis proximo capite adjiciam quæ adhuc flagitat hujus argumenti dignitas atque amplitudo.

CAPUT XVII.

De Immunitate, & Asylo.

SUMMARIUM.

1. Notanda circa Immunitatem & Asylum.
2. & 3. Probatur Propositio Ima.
4. 5. 6. 7. & 8. Probatur Propositio 2da.
9. Usque 15. Solvuntur objectiones.
16. Propositio 3tia.
17. Explicatio illius.
18. & 19. Probatur eadem.

20. Constitutio Juliani Apostatæ, & Regis Gallorum Chilperici nil probant.
21. Propositio 4. de 4. Civitatibus Asyli.
22. Asyla alia sunt sacra, alia profana.
23. Aliqua Baptisteria Privilegiò Asyli gaudant.
24. Cultores Idolorum Asyla sacra æstimant.
25. Varia recensentur Asyla.

Notanda circa Immunitatem & Asylum.

A EQUUM est, ne quod Jurisconsulti disputant in tit. 49. libri 3. Decretalium Gregorii IX. de Ecclesiarum Immunitate prætermittamus omnino. Immunitatem appello locorum, aut aut personarum à communibus oneribus, muneribusque libertatem, quod nonnulli *Emunitatem* dixere, quasi extra munia, quibus cæteri obligantur. Affine huic est Jus securitatis, sive Asylum, derivatum nomen ab *ἀσφύριον* & verbo *σώζω*, *rapior*, *prædor*: & idem est Asylum, ac locus profugii. Circa immunitatem quarendum est, an Clericis fas sit domos, aliaque bona possidere, nam cap. 1. memorati tit. 49. pertractatur de domibus Ecclesiarum. Posthac videndum an Clerici à publicis muneribus collectisque solvendis sint immunes, ut eodem titulo statutum est cap. *Non minus*, & cap. *Adversus Consules*. Deinde de Immunitate locorum, de qua extat cap. *Cum Ecclesia*, & cap. *Ecclesiæ*, agendum breviter, cæteris expositis, quæ ad Jus Asylorum magis spectare videntur.

1. PROPOSITIO I. Clerici legitime bona possident temporalia.

Quod probatur primo ex veteri Testamento. Num. xxxv. v. 2. legitur: *Præcipe filiis Israël, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum*: & Josue xxi. 3. *dederuntque filii Israël de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates, & suburbana earum. Sunt qui dicunt urbes & agros Levitis*

accessisse, ut ibi habitarent, non ut haberent concessarum rerum dominium: quod Lyranus probat ex cap. xiv. Josue 13. ubi dicitur traditum Caleb Hebron in possessionem; cum tamen cap. xxi. 11. Levitis assignata fuerit civitas Arbe, quæ vocatur Hebron. At difficultatem dirimit proximus versus 12. *Agros vero, & villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. Dedit ergo filiis Aaron Sacerdotis Hebron conjugii civitatem, ac suburbana ejus*: & 1. Paralip. vi. 55. *Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, & suburbana ejus per circuitum: agros autem civitatis & villas Caleb filio Jephone. Caleb* itaque possedit tractum circumjacens, dictum Hebron, quomodo cap. xxi. v. 32. ager Sichemo proximus dicitur Sichem, & Jud. xiii. 2. Manue pater Sampsonis appellatur, *vir de Saraa*, cum tamen ruri habitaret. Ita Calebi territorium, Levitarum erat civitas, ac suburbium. Legitur etiam Levit. xxv. 33. *Domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israël*: nec alia profertur causa, cur non possent suburbana venditari, nisi quia Levitarum possessio perpetua erat ac sempiterna, quomodo nequeunt & modo bona Ecclesiarum alienari.

In novo pariter Testamento, atque in ipsis Ecclesiæ incunabulis, *Quotquot erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*, ut in Actis legitur Cap. iv. 34.

2. Probatur 2. ex novo Testamento.

& 35. Arbitrio ergo Apostolorum subijciebantur pecuniæ: erantque illi bonorum omnium administratores, & æque, ac laici, possessores. Et quamquam iis licebat prædia non vendere, aut pretium non deferre ad pedes Apostolorum, ut Petrus inquit Ananiæ, cap. v. 4. omnes tamen sua quæque Domino devovebant, nec exinde fas erat de pretio defraudare. Ipsum Dominum ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse, recte colligit ex Evangelio Venerabilis Bedæ lib. iv. cap. 14. in Lucam.

3.
Probatur 3.
ex Gregorio
magno.

Possessiones Clericorum, privatasque domus Ecclesiarum commemorat etiam magnus Gregorius lib. 3. Epist. ep. 19. in qua sermonem instituit de pensionibus domorum, quas Ecclesiam S. Agathæ habuisse constabat à Gothorum temporibus. Domos Ecclesiarum proprias laudat apud Emmanuelem Gonzales in cap. 1. lib. 3. Decr. tit. 49. Eusebius Cæsariensis H. E. libro vii. Eodem citato cap. *Ut in domibus*, decernit Joannes Papa, neque Missum, neque Comitum, id est Executorem officialem, siue Proconsulem, neque judicem, ministrumque posse in domibus ad Ecclesiam pertinentibus exercere iudicia, aut sibi hospitium vindicare. Sacris itaque libris, historicis monumentis, decretisque Pontificum citato titulo, & in Septimo lib. 1. tit. 7. dispositis, docemur licitam esse Clericis domorum, agrorum, prædiorum, nec non civitatum, regnorumque possessionem. Quam cum statu Ecclesiastico non pugnare diximus quarta præcedentis Capituli positione.

4.
Propositio 2.
Expositio 2.

PROPOSITIO II. Clerici, eorumque bona ab omni civili onere gaudent immunitate, ita ut illi cogi non debeant ad tributa solvenda, neque ad munia laicorum obeunda.

Probatur 1.
ex veteri Te-
stamento.

Demonstratur 1. ex veteri Testamento. Gen. XLVII. 22. Joseph emit, subjecitque Pharaoni omnem terram Egypti, præter terram sacerdotum; & v. 26. *Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Egypti Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra Sacerdotali, qua libera ab hac conditione fuit*, Num. III. 49. *Tribum Levi noli numerare* (inter eos, qui debebant ad bella procedere) *neque pones summam eorum cum filiis Israël*. 1. Esdræ VII. 24. extat lex Artaxerxis: *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, & Natbinais, & ministris domus Dei hujus, ut victigal, &*

tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Sacerdotes autem veteris legis figuram fuisse nostrorum, quis ignorat? Aut quis Catholicus princeps erit in Clericos minus propensus Regibus Egyptiorum, aut Persarum? Apud Matth. xvii. 24. habetur præclara sententia Salvatoris: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? A filiis suis, an ab alienis? . . . Ergo liberi sunt filii*. In quem locum ait Hieronymus. *Ille pro nobis crucem sustinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filii Regis à vectigalibus immunes sumus*.

Probatur 2. ex Conciliis. Etenim Lateranense IV. Sess. 9. sub excommunicationis pœna prohibet, *ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alii potentatus quicumque collectas, decimas, & alia hujusmodi onera Clericis, Prælati, & aliis quibuscunque personis Ecclesiasticis imponent, exigantque*. Tridentinum Sess. xxv. de Reformat. cap. 20. docet, *Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum Personarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam esse*. Similia habent Conc. Aurel. 4. cap. 13. Tolet. 3. Can. 21. Tolet. 4. can. 46. Colonienſe p. 9. cap. 20. Atque his accedunt decreta Romanorum Pontificum Adriani VI. Clem. VII. Julii III. Pii IV. quæ accurate collegit Petrus Matthæus Clarissimus Jurisconsultus in Septimo Decretalium, si Constitutio Apostolicarum lib. 2. tit. 2. in Sexto autem cap. *Quamquam*, IV. de Censibus, siue tit. xx. Bonifacius VIII. declarat Ecclesias, Ecclesiasticasque personas ac res ipsarum *non solum jure humano, quinimo & Divino à sæcularium personarum exactionibus esse immunes*. Atque contra facientibus Bonifacius ipse, Alexander IV. alique Romani Pontifices ipso facto excommunicationem singularibus personis, interdictum vero universitatibus locisque infligunt. Videatur & Bulla Cœnæ Domini. Idem constat ex Jure Civili, præsertim ex C. de Sacrosanctis Eccl. l. 5. *Placet*, & l. 8. *Sacrosancta*: & C. de Episcop. & Cler. l. 1. *Juxta sanctionem*, & l. 6. *Presbyteros*, nec non in Auth. *Statuimus*: qua Fridericus I. Imperator omnia etiam revocat abrogatque huic immunitati quomodolibet adversantia. Vide & cap. *Secundum Canonicam*. 23. q. 8.

6.
Probatur 3.
Tertio probatur ex PP. *Hoc autem* ex SS. Patri-
mandatum (ait Jo. Chryf. hom. 65. in bus.
cap.

cap. 47. Geni.) poſuit eis Joſeph, ut quintam partem darent Pharaoni, excepta ſolū Sacerdotum terra. Audiant qui nunc vivunt, quantam olim (Ægypti Reges) Sacerdotum idolorum curam habuerint & diſcant, ut vel ſaltem patri habeant honorem bis, quibus omnium Dei miniſterium creditum eſt; & qui ſacerdotio inſigniti ſunt. Si enim errantes illi & tantum idolorum curam habentes, ex hoc putabant idola magis coli, ſi ita eorum miniſtros colerent; quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt quod ad Sacerdotum Dei ſpectat cultum? His confirmantur, quæ ſupra è ſacris literis prompta ſunt. Hieronymi in cap. xvii. Matth. jam laudavimus illuſtrem, præclariffimamque ſententiam. S. P. Auguſtini lib. 1. Q. q. Evang. q. xxiii. hæc ſunt verba: *In omni regno intelligendum eſt liberos eſſe filios, id eſt, non eſſe vectigales. Multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet Regno terreno filii Regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena.* Quædam alia producam ad ſolutionem prioris argumenti. Beda ad cap. 47. Geneſeos & ipſe docet terram ſacerdotum immunem à vectigalibus ſignificare *Eccleſiam liberam à conſu mundi.*

7.
Probatur 4.
ratione.

Collocabo quarto loco peti- tum quod à ratione argumentum. Ac primo Clericus in ſortem & hæreditatem Domini electus eſt. *Κληρος* enim Græce dicitur, Latine ſors, vel hæreditas, ut recte in Pſalmum 67. Auguſtinus, Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. & Grat. diſt. xxi. cap. *Cleros*. Tres iſthinc eruuntur cauſæ, ob quas Clerici ad munia publica, ad vectigalia, atque ad civile forum cogi non debent. Priorem ducit Chryſoſtomus cit. hom. à comparatione planiſſima. Quis enim inferior ad hæc compellat alicujus ſæculari dignitate inſignis filium, hæredem, familiarem? Affert alteram Imperator Conſtantine in Episto- la ad Anulinum, quæ extat lib. x. Hiſt. E. Eusebii, cap. 7. & lib. vii. Niceph. cap. 42. ne ſcilicet ipſi Clerici a cultu ſummæ Divinitatis debito abſtrahantur, ſed potius absque ulla inquietudine legi propriæ deſerviant. Tertia ſumitur ab ipſa naturali æquitate; magnâ quippe injuriâ ſupremus Dominus afficitur, ſi ejus Sacerdotes minorem, quam olim idolorum Flamines, habeant honorem; & quæ Divino cultui ſunt conſecrata, profanis uſibus deputentur. Subvertuntur pariter omnes leges, ſi inferiores Magiſtratus præſumant jura dare ſuperioribus, & homines Angelis imperare.

Addam poſtremo loco rationem politicam. Putant ſæculares Principes aliqui à pendendis tributis Eccleſiaſticos non eſſe immunes, quod hæc poſtulet commodum, quam ipſi curant, Reipublicæ, illatum à juſto bello diſpendium, extrema plebis pecunia, atque cauſa iſtiusmodi aliqua. Ubi neceſſitas poſtulat, debent Eccleſiæ Præſules neceſſaria ſubſidia concedere: & pro ſublevandis pauperibus ſunt aliquando etiam ſacra vaſa frangenda. Ad aliud eſt, Clericis habendam eſſe rationem de publica neceſſitate, aliud ſæculares bona invadere Clericorum. Pro bello gerendo ad hæreſes extirpandas Henricus Rex Chriſtianiffimus ſupplicavit Sixto V. Pontifici Maximo pro facultate Clericis partem oneris imponendi, eamque obtinuit, eo quidem fine, ut Eccleſiaſticus ordo conſervaret poſſeſſa, & recuperaret jam ab hæreticis occupata. Ita quod Gallicani Præſules in difficilibus Regni temporibus Regibus Chriſtianiffimis pecuniæ ſummam ex Eccleſiaſticis redditibus collectam concedere ſoleant, *ut ei Cleri ſubventione pauperes iis vectigalibus, quibus ſolvendis impares ſunt, liberentur*, quomodo in peroratione ad Regem poſt Comitia anni 1701. ait Cardinalis de Noailles; id quidem æquum exiſtimamus. Similia dicimus, dum Auguſtiſſimus Imperator præliatur prælia Domini adverſus Turcas. At ſi putant Eccleſiaſticorum bonis propria auctoritate uſurpatis, nec ultro ac ſponte conſeſſis, (quod ſane ab ipſorum mente alienum eſt,) majores vires acquirere, & augere theſauros, magno in errore verſantur. Dominus quippe dux exercituum eſt, & Deus virtutum, & ipſe, auctore laudata hom. Chryſoſtomo, reddit non imminuentibus quod ad Clericos ſpectat è *ſupernis retributiones*. Direptis in Anglia Eccleſiaſticis redditibus, dirutisque opulentiffimis Monaſteriis, quorum cenſus computabatur librarum, quas dicunt ſterlingas, 320180. annis ſingulis; Rex omnium Regum præcedentium pauperrimus factus plura ſolus impoſuit civibus vectigalia, quam omnes ſimul per quingentos annos Anteceſſores. Vide in libro de Schiſmate Anglicano Sanderum. Emmanuelem Luſitanæ Regem coactum remittere dicimas fructuum Eccleſiæ, quas exigebat conſeſſione Leonis Pontificis, propterea quod omnia ſiniſtre ipſi evenirent, nihil feliciter ac proſpere, ſcribit lib. ix. Hiſtoriarum Oroſius. Hujusmodi vero decimationem illegitime factam principibus peſſime

8.
Probatur 5.
ex ratione
Politica.

sime semper cessisse, fatetur apud Meyerum libro xvi. Annalium Fland. Carolus VII. Rex Galliarum. Præclarum Clotarii Regis exemplum narrat Gregorius Turonensis lib. 4. Hist. Franc. cap. 2. Igitur ipsa Reipublicæ utilitas, ac rerum Principum vicissitudo petit, ne Clericorum immunitas ratione aliqua violetur.

9. Sed opponunt 1. quod extat Matthæi Oppositio 1. xvii. v. ult. *Vade ad mare, & mitte hamum: & cum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens da eis pro me, & pro te.* Christus ergo, & Apostolorum princeps solvere didrachma. Resp. hoc argumentum probare oppositum. Eo enim loci Dominus primum ait se liberum esse à solvendo tributo, vel censu. Deinde profitetur se tantum pati ut solvatur, propter scandalum evitandum. *Ut autem non scandalizemus eos* (inquit) *vade ad mare, &c.* Hinc Augustinus lib. 1. de Conjugiis adult. cap. xiv. n. 15. ait: *Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera cbaritate; & ea sunt gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus.* Unde prior ipse Dominus, cum se tributum non debere monstrasset, solvit tamen ne scandalizaret eos, quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. Habet similia epist. 239. nunc 83. num. 5. Nonnulli sunt, qui respondent sermonem isthuc fieri de medio siclo solvendo ad usum ornatumque templi, juxta præceptum Domini xxx. Exodi v. 13. Nam pendebat revera siclus viginti obulis, & quatuor drachmis, unde dimidium sicli idem est, ac didrachma. Principi autem solvebatur denarius, ut habetur Matth. xxi. 19. Ita post Hilarium Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 28. Emanuel Gonzales in tit. 49. lib. 3. Decretalium: sed verior est responsio nostra, primo, quoniam Christus citato loco etiam ab hoc solvendo didrachmate liberum se esse declarat: deinde quia ea data occasione etiam de tributo ac censu loquitur Dominus: præterea quia, etsi didrachma dari solitum pro templo verissimum est, pondere idem erat ac denarius, id est decem obulis, ut liquet ex citato cap. xxx. Exodi. Habent quidem ibi lxx. τὸ ἥμισυ τῆς διδραχμῆς, dimidium didrachmi, non didrachmum; sed drachma Alexandrina duplaris erat; & Matthæus loquitur de communi, & Attica. Jubente demum Vicario Christi in difficillimis Reipublicæ rebus persolvendum Imperatoribus

tributum minime denegamus, id exigente pace & quiete, quæ nos tueri debent & defendere, ut habetur c. *Tributum in ore piscis*, 2. c. 23. q. 8.

Arguunt 2. Ait Dominus Matth. xxi. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* Resp. justissimam esse, verissimamque sententiam, sed non sunt Cæsaris, quæ Domino consecrata sunt, atque ministris Sanctuarii deserviunt. Deinde ad confundendam nequitiam Phariseorum, qui una cum Herodianis ad ipsum accesserant, Christus tale dedit responsum, ex quo nihil adversus Cæsarem, nihil adversus Divina jura possent maligni tentatores deprehendere, ut dum quærebant capere Dominum in sermone, confusi abirent; ut infra dicam ad quartam objectionem.

Arguunt 3. Scribit ad Romanos cap. xiii. Apostolus: *Omnis anima potestati sublimioribus subdita sit.* Atque in hunc locum Chrysostomus, *Etiamsi Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta.* Resp. & hanc sententiam Apostoli esse rectissimam, omnis quippe anima tenetur Superioribus obedire, sed juxta Divinam ordinationem, quæ, ut ibidem ait Apostolus, omnis potestas est ordinata, & directæ. Est autem Divina ordinatio, ut major sit potestas Ecclesiæ quam mundi, & sacrarum legum quam civilium. Quando ergo leges civiles non repugnant Canonicis, tenentur Clerici illas observare, non in quantum leges civiles sunt, sed in quantum jure canonico sunt confirmatæ: ideoque licet mandata Principum legesque ab eis latas Clerici transgrediantur, gaudent immunitate fori, nec à sæculari potestate puniri possunt. Quod confessus est magnus Constantinus apud Sozomenum lib. 1. cap. 17. In his ergo, quæ pugnant cum Ecclesiasticis Sanctionibus, cujusmodi esset Clericus ad pugnam cogere, eis que absque auctoritate Ecclesiæ imponere victigalia, subditi non sunt sæcularibus potestatibus, neque sunt istæ juxta Divinam ordinationem sublimiores.

Arguunt 4. C. *Si tributum* 2. p. decreti c. ix. q. 1. *Si tributum petit Imperator, non negamus: agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum.*

Resp. canonem hunc desumptum ex Oratione Ambrosii de non tradendis Basilicis. In ea refert S. Antistes Arianos ipsum circumvenisse, ut olim Judæi Christum, ad hoc ut Basilicas traderet, quod verbis præcedentibus narrat.

Apprehendere (inquit) sermones nostros gestiunt, sicut Judæi, qui Christum verjuto sermone tentabant: Magister, licet tributum dare Casari, aut non? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, ut imperiale nomen obtendant. Et ipsi possunt dicere, quod eorum non babeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium? Et tamen videte, quanto peiores Ariani sunt, quam Judæi. Illi querebant utrum solvendum putaret Casari jus tributum: isti Imperatori volunt dare jus Ecclesiæ. Sed ut perfidi suum sequuntur auctorem: ita & nos quæ nos Dominus & Auctor noster docuit respondeamus. Igitur respondet, nullo pacto Ecclesiam tradendam Imperatori, cujus non præfert imaginem: de agris vero, ac tributis, quoniam nimis importunum, ac periculosum erat hæc etiam negare principi, cui persuaserant Aulici omnium habere dominium, (ut scribit idem Ambrosius lib. 2. Epist. epist. 14. nunc xx. class. 1. & habetur in cap. Convenior c. xxiii. q. 8.) respondit se ea neque donare neque denegare, Non faciant, inquit post verba quæ obijciuntur, de agris invidiam; tollant eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego. Igitur in cap. Si tributum, affirmatur tantummodo Imperatorem tributa petere, & potestatem habere agrorum vindicandorum, de facto, non de jure. Et ita etiam Glossa Decreti.

13. *Arguunt 5. Cap. Pervenit, tit. 49. lib. 3. Decret. statuitur, Clericos non excusari à murorum custodia, sed omnes esse ad hoc generaliter compellendos. Resp. hoc valere in irruptione, & imminenti periculo patriæ, quam defendere magna pietas est: quamquam sunt Jurisconsulti qui cap. Pervenit, non de Clericis sed de Clericorum servis censent accipiendum.*

14. *Arguunt 6. in C. tit. de Sacrosanctis Eccl. l. 7. Ad instructiones, & l. 11. Neminem, habetur ad solvendum pro itinere, & hospitio Imperatorum, etiam Venerabiles Ecclesias teneri. Resp. non agi his locis de tributis & vectigalibus, sed de hospitio, & alimentis exhibendis Regi pro causa publica proficiscenti; quæ si præstare debent Clerici, non obstringuntur his legibus, sed Canonicis, & Decretis Joannis IX. atque hospitii honestate.*

15. *Arguunt ultimo: Si Clerici, eorumque bona fruuntur immunitate, deest principibus robur, nervusque ad hostes propulsandos, ad bella pro Reipublicæ salute gerenda, ad levandam ingravescentem annonam, ad ipsam Ecclesiam*
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

protegendam. Resp. non talia hauriri ex sacris literis documenta; è quibus illud magis comperimus premente fame universam terram, absque tributis Sacerdotum solam Aegyptum inopiâ rei frumentariæ non laborasse: celebriores Israelitas potius retulisse victorias Levitis circumferentibus arcam, quam militibus arma tractantibus: ædificatum ab illis, atque exhaustis in captivitate thesauris denuo extructum celeberrimum in universo orbe templum, urbemque amplissimam, nullum sumptum Sacerdotibus suppeditantibus: à Domino, in cujus sortem assumuntur Clerici, expectandum belli exitum, & omne bonum in civitate. Accedit etiam Christianorum Principum, quod supra innuimus, experimentum. Cæterum si urgeat necessitas, tributum personis, bonisque Clericorum imponatur, sed non à potestate seculari; ut postrema argumentatione declaratum est.

PROPOSITIO III. Immunitatem 16.
Ecclesiasticam, sive Personarum, sive Proposito
locorum, quocunque jure sit inducta, nequeunt Principes sæculares temerare, aut minuire.

Dixi, Quocunque jure; sunt enim qui putant immunitatem tam locorum, quam Clericorum institutam fuisse sola liberalitate Imperatorum, ac Principum, eosque posse illam revocare, vel imminuere: quod illegitime inferunt, ut paulo infra demonstrabo. Pluribus Principum Constitutionibus immunitatem Ecclesiis, Clericisque collatam vel confirmatam fuisse, non inficiari. Magnus Constantinus declaravit Clericos immunes à muneribus civilibus, ut liquet ex Cod. Theodosiano xvi. Tit. 2. l. 1. Clerici, & l. 2. Qui Divino, quam legem confirmat ipse Constantinus in Epist. ad Episcopos Numid. & commemorant Eusebius lib. x. H. E. cap. 7. & S. P. Augustinus in Epist. ad Januarium 68. nunc lxxxviii. Constantius privilegia, quibus jam Clerici ac Tempia fruebantur, confirmavit l. Juxta sanctionem, ibi l. 8. excipiens Clericos ab onere Metati, id est, à suscipiendis hospitibus transeunte Imperatoris exercitu, aut comitatu. Adidit leges 9. Curialibus, & 10. Ut Ecclesiarum, quibus Clerici exempti dicuntur ab omni civili functione, à sortididis muneribus, qualia sunt viarum in-staurationi inservire saxa aut calcem ferendo, & à negotiatorum dispendiis, quæ dici solent collationes lustrales. Hujus legis meminit Basilii Ep. 279. ad Modestum Præfectum Præt. Orientis.

N

Firma

Firmavit eandem immunitatem in Epist. ad Taurum post Ariminensem Synodum, & extremo vitæ suæ tempore, id est, anno 361. l. 16. *In qualibet civitate, ubi constitutionum suarum rationem affert dicendo, Sciens magis religionibus, quam officiis & labore corporis, vel sudore nostram Rempublicam contineri.* Abrogavit quidem hanc immunitatem Julianus Apostata, sed anno 368. restituit Valentinianus in Epist. ad Claudium Proconsulem Africæ, ut habetur l. 18. *Quam ultimo.* Etiam Gratianus sancivit Clericos personalium munerum expertes esse in Epist. ad Catafronium, & Tuscanum Comitem Orientis. Theodosius, & Justinianus Constantini, & Constantii sanctiones confirmarunt, quod & præstiterunt Imperatores alii. Vide cit. Cod. Theodosianum lib. xvi. Tit. 2. & C. Justin. tit. De Clericis & de sacrosanctis, &c. Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 148. Eadem fuerunt sanctiones Regum Hispaniarum, ut constat ex Canone 47. Concilii Toletani iv. nec non Regum Galliarum, Clodovæi, Clotarii, Childeberti, aliorumque, de quibus Thomassinus de Eccles. disciplina P. 111. lib. 1. cap. 34. Idem de Immunitate locorum Imperialibus, Regiisque sanctionibus statutum esse, haut diffiteor.

17.
Explanatio
ulterior.

Verum etsi inspectis duntaxat his legibus videatur Immunitas collata Principum munificentia, originem tamen ducit ex lege superiori, tam Divina, quam Ecclesiastica, ut ex dictis facile evincitur. Etenim, quantum ad personas attinet, propositione 2. producta sunt ex sacris libris levitarum exempla, quibus nec Artaxerxes vectigalia, aut civilia munera imposuit; & ex Evangelio probatum est, Ecclesiæ ministros à solvendo censu Salvatoris sententiâ liberos esse, quandoquidem Petrus Christo iubente solvit didrachma ad vitandum duntaxat scandalum, non quod ad solvendum teneretur, ut inquit Hieronymus sup. laudatus, & Ambrosius Epist. 1. nunc vii. num. 17. Immunitas etiam sacrorum locorum colligi potest ex Divino præcepto Exodi xxi. 14. ubi præcipitur evellendum quoque ex altari, *qui per industriam, & per insidias occiderit proximum suum*, cum tamen homicidis aliis altare esset perfugii locus, ut constat ex verborum antithesi, quia superiori versu datur asylum illi, qui non insidiatus occidit. Vide cap. 1. de Homicidio. Nec tenet responsio Alexandri Ambrosini, leges veteris Testamenti fuisse abrogatas; quippe abroga-

tæ fuerunt ceremoniales, & quæ figuræ erant futurorum, non quæ maxime ad Dei, templique cultum necessaria videntur. Hinc Tridentina Synodus sess. 25. definit Immunitatem Ecclesiasticam constitutam esse *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus*, & Concilium Lateran. iv. sess. 9. *jure tam Divino, quam humano.* Leges autem Ecclesiasticas spectantes ad immunitatem Ecclesiasticarum Personarum citavimus propositione 11. & quæ pertinent ad immunitatem locorum proferuntur propositione sequenti, ubi nonnulla dicam de Asy-
lis. Immunitas ergo tam Divinâ quam Ecclesiastica lege fuit constituta. Imo illam confirmat ipsa lex naturalis singulis hominibus indita. Unde enim Aegyptii Reges didicerunt immunitatem auctore Joseph concessam Sacerdotibus esse æquitati consentaneam, nisi ex rationis præscripto quod Deo militantibus non sunt imponenda vectigalium onera, nec munera laicorum? Quare Orestes interfecta matre Clytemnestra confugiens ad aram Apollinis liber evasit? quare Pausanias patriæ Athenarum proditoris reus aufugit ad templum Palladis, & à Thucydide redarguuntur Athenienses, quod per vim ab ara proditore extracto auctores fuerint immixta in cives pestilentia? quare nemo gentilium audebat in mortem rapere confugientes in Templum Dianæ Ephesinæ, ad aram Junonis, aliorumque idolorum? Legite Thucyd. lib. 1. de Bello Peloponn. Ciceronem Act. 3. in Verrem, & S. P. Augustinum de Civ. D. lib. 1. cap. 4. Id non alia ratione ab Ethnicis observatum, nisi quia naturali lumine percipiebant iniquum esse vim inferre inferviensibus in templo Deorum, aut illuc tanquam ad munitissimam arcem confugientibus. Quamobrem assero Imperatores ac Principes, dum Immunitatis leges tulerunt, non tam beneficia contulisse, quam reddidisse debitum, eorumque constitutiones non intulisse liberalem beneficentiam, sed æqui, rectique præscriptionem: Ecclesiasticos autem Pastores constitutiones ipsas probasse, & Politicis Præsidibus nunc gratias, nunc preces exhibuisse, quod Ecclesia ditè vexata illorum patrocínio indigeret, ut propria jura tueri posset, atque ab invasoribus facilius defendere.

His præmissis propositionem demonstrâ hoc dilemmate. Immunitas Ecclesiæ aut Dei ordinatione & jure Divino constituta est, ut nos firmissime asserimus, aut liberalitate Imperatorum & Regum, ut opinantur quidam Politici.

At

18.
Probatur 1.
Propositio.

At ſive conſtituta ſit Dei ordinatione, ſive Imperatorum Regumque liberalitate, nefas eſt ſeculari Principi ipſam immunitatem abrogare, aut circumſcribere. Et quod Principes nequeant immunitatem violare, ſi inducta ſit ordinatione Divina, extra controverſiam poſitum eſt; nemo quippe mortalium facultatem habet aut infringendi, aut coarctandi Divinam conſtitutionem: neque inferior abrogare poteſt legem ſuperioris; omnis autem poteſtas Deo ſupremo legumlatori ſubjecta eſt. Atque hæc ratio efficax eſſet, etiamſi immunitas eſſet conſtituta lege tantum Eccleſiaſtica, quoniam nulla Poteſtas Politica ſuperior eſt poteſtate Petro, ejusque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus abſolute, immediate, pleniffimeque conceſſa. De qua poteſtate dictum capite præcedenti.

19. Inviolabilem autem eſſe Eccleſiaſti-
cam Immunitatem, facta etiam hypo-
theſi, quod Principum munificentia &
liberalitate ſit conſtituta, ſic demon-
ſtro. Privilegia, tamenſi beneficentia ac
liberalitate Regum concedantur, niſi il-
lis certum tempus apponatur, & con-
ferantur abſolute, & abſque ulla con-
ditione, perpetua ſunt, nec aliquo ſuc-
ceſſu temporis temerari poſſunt, nec
revocari, nec circumſcribi. Privile-
gium immunitatis abſolute, nullaque
conditione appoſita, ut liquet ex legi-
bus Imperatorem paulo ante citatis,
Eccleſiæ Clericisque conceſſum fuit.
Nullo ergo pacto abrogari poteſt, re-
ſtringi, aut ratione aliqua violari. Hu-
jus argumenti minor propoſitio, ut dixi,
ex Imperialibus Conſtitutionibus mani-
feſta eſt; ac major pariter eſt expreſſa
legibus tam civilibus, quam Canonicis,
de quibus capite XXI. ubi diſſeram de
Privilegiis. Deinde ipſi Imperatores ac
Reges teſtati ſunt ſe immunitatem Tem-
plis, perſoniſque Deo ſacratſis largiri ob
utilitatem, quam Reipublicæ afferunt
miniſtrantes in Sanctuario orationibus,
ſacrificiis, aliisque Eccleſiaſticis exercita-
tionibus: ideoque Conſtantius I. *In qua-
libet*, confirmandas latas à patre conſtitu-
tiones pro Eccleſiaſticorum immunitate.
inquit, *Scientes magis religionibus, quam
officiis & labore corporum, vel ſudore
noſtram Rempublicam contineri.* Quare
immunitas Eccleſiaſtica, & quidquid
Principes Clericis contulere, dici potius
debet juſta merces, quam liberalis lar-
gitio. At privilegia hujus generis abſ-
que manifeſta violatione æquitatis ne-
queunt abrogari vel minui ut docent Ju-
riſconſulti omnes, & ratio ipſa ſuadet.

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Ergo nec abrogari poteſt, vel minui Ec-
cleſiaſtica Immunitas. Denique ſit iſta
donum, ſit tantum liberalis munificen-
tia; num propterea fas erit eam teme-
rare? Principio quod donatum eſt, ne-
quit revocari. Præterea repetere quæ
Eccleſiæ donata ſunt, eſt repetere quæ
donata ſunt ipſi Deo. Repetere quæ do-
nata ſunt ipſi Deo ſacrilegium eſt. Igi-
tur ſacrilegium eſt repetere quæ Eccle-
ſiæ donata ſunt. Tandem etſi detur im-
munitatem fuiſſe liberali Principum lar-
gitione conceſſa, donatione facta tran-
ſiit in jus, & in poteſtatem aut Eccle-
ſiarum, quæ ſupremo omnium Domino
ſunt conſecratæ, aut perſonarum, quæ
in ſortem Domini adſcitæ Eccleſiis ipſis
inſerviunt. Si ergo Tempſa, virique
Eccleſiaſtici Dei ſunt; quis poterit illis
adimere quidquid aut debita retri-
butionis, aut liberalis munificentia;
aut quovis alio titulo acceptum in
proprium jus tranſtulere? Expende
quod beatus Ambroſius de invaden-
tibus Baſilicas ſcribit ad Marcellinam
ſorem Epistoſa edit. Pariſienſis xx.
num. 16. *Mandatum denique, Tra-
de Baſilicam. Reſpondeo nec mihi fas
eſt tradere, nec tibi accipere, Impera-
tor, expedit. Domum privati nullo po-
teſt jure temerare, Domum Dei exiſti-
mas auferendam? Allegatur Imperatori
licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Re-
ſpondeo: Noli te gravare Imperator, ut
putes te in ea, quæ Divina ſunt, impe-
riale aliquod jus habere. Noli te extol-
lere, ſed ſi vis diutius imperare, eſſo
Deo ſubditus. Scriptum eſt: Quæ Dei
Deo, & quæ Caſaris Caſari. Ad Im-
peratorem palatia pertinent, ad Sacer-
dotem Eccleſiæ. Publicorum tibi ma-
nium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.*
Profecto quod de ſacris ædibus dicitur,
idem de viris Eccleſiaſticis conſtat eſſe
aſſirmandum. Ut planiſſimum aſſera-
tur exemplum; nonne gravi injuriâ aſ-
ficeretur ſecularis princeps, ſi ejus pa-
latium invaderent cives armati, ſuppel-
lectilem diriperent, & familiares inti-
mosque vi extraherent, etiamſi amplas
illas ædes, famulitium, rem domeſti-
cam ex libera civium largitate poſſide-
ret? Id quidem certiffime, quoniam
Principis jam eſſent, non civium. Ita
Deo gravem aſſerunt injuriâ, qui Do-
mum ejus uſurpata jurisdictione gra-
vant, redditus minuunt, tributa extor-
quent, ſacros miniſtros ad munera, vel
onera laicalia compellunt; quamvis ipſo-
rum largitionibus templa conſtructa eſ-
ſent, locupletata poſſeſſionibus, & Cleri-
corum numero ac ſplendore condecora-

ta: propterea quod hæc, siue jure tributa sint, siue collata dono, jam non Cæsaris sunt, sed Dei. Quocunque ergo jure constituta sit Immunitas Ecclesiastica; siue jure Divino ut nostra sententia, siue jure præscriptionis, ac Imperiali beneficentia à Constantino ad hæc usque tempora in Christianis Principibus permanente, ut politici quidam statuunt: nefas est Immunitatem ipsam quomodolibet violari.

20. *Constitutio Juliani Apostatæ constitutionem, aut Juliani Apostatæ, & Regis Gallorum Chilperici nil probant.* Neminem fore arbitror, qui opponat Juliani Apostatæ constitutionem, aut Chilperici Gallorum Regis decreta: quum nullus Christianus Imperator debeat Julianum Constantino, Justiniano, ac Theodosio præferre; neque ullus Regum Clotarium, Theodebertum, Childbertum posthabere. Chilperico, cujus mores improbos ac flagitiosissimos narrat lib. vi. cap. 46. Gregorius Turoensis: præsertim cum immunitatem abrogatam à Juliano restituerit Valentinianus, & labefactam à Chilperico ampliaverit Clodoveus. Nemo etiam objiciet, piissimum Imperatorem Heraclium irruentibus in Imperium Persis ex aureis, argenteisque Ecclesiæ vasis cussisse pecuniam: cum Heraclius non vi, & rapina ab Ecclesiis sacram suppellectilem acceperit, sed mutuam, eamque ampliorem refuderit, & annuis præterea redditibus à fisco solvendis adauxerit Ecclesiasticos census. Vide Baronium ad annum 627. num. xxvii. Quod si aliquando Pontifices à Principibus immunitatem tanquam beneficium humiliter poposcerunt, aut Principes illam pro libito temerarunt; id, ut diximus,tribuendum est conditioni temporum, Pontificum humilitati, & humanarum Potestatum vicissitudini.

21. *Propositio 4.* PROPOSITIO IV. Recte in Latina Vulgata Josue xxi. 36. connumerantur quatuor civitates asyli in Tribu Ruben.

De 4. civitatibus Asyli. De Asylo pauca dicturus præponendam duxi facilem hanc thesim propter integritatem Vulgatæ, quam ubique tentant hæretici dilaniare. Inter civitates ergo refugii nostra Vulgata Josue xxi. 36. quatuor enumerat ultra Jordanem contra Jericho in tribu Ruben, Bosor in solitudine Misor, Jaser, Jethson, & Mephath. Hæ non habentur in Codicibus Hebræis; neque in conscriptis tempore Thalmud & Masoretharum, unde inquirunt aliqui Etherodoxi illas in nostra Versione redundare. At constat optime appositas. I. quia v. 7. habetur datas filiis Merari urbes duodecim de tribubus Ruben, Gad, & Zabulon: quæ urbes v. 34. & seqq. numerantur. At si non ex-

tarent in sacris Bibliis commemoratæ quatuor urbes, civitates refugii non essent duodecim. II. Quia cum recensentur singulæ urbes Levitarum, cur prætermittas credendum est assignatas in Tribu Ruben? III. Quia hæ quatuor civitates recensentur etiam in primo libro Paralippomenon cap. vi. 78. 79. ubi nota non Misor poni, sed Bosor, ideoque Misor nomen est solitudinis, non urbis; significat enim Misor planitiem, & locum campestem, in quo conditam civitatem Bosor constat Deut. iv. 43. ideoque in cap. xi. Josue, ubi legitur, *Bosor in solitudine, Misor, &c.* abradenda est virgula. IV. Extant quatuor illæ civitates in vetustissimo Codice Chaldaeo Ms. Complutensi, & in edito Regii Operis à Plantino, in Græcis omnibus, in antiqua Itala, cæterisque Latinis, præter nonnullos, quos observarunt Lovanienfes, expressos ex aliis Codicibus Hebraicis amanuensium oscitantia vitiatis; in quibusdam denique exemplaribus Hebraicis perverustis additas à correctoribus, & recte appositas testatur R. Kimchi. V. In Bibliis versu isto carentibus desiderari, neque posse alias summam confici, Protestantes complures fatentur, Glassius lib. 1. Tract. de puritate textus Hebræi sect. 2. §. xv. n. 3. & Comment. in Josuam Masius, Amama, & Drusius, qui & laudat Veneram Editionem procuratam à Felice Pratensi, viro nostri Ordinis præclarissimo, & Hebraicorum præsertim Codicum peritia, sacrarumque historiarum scientia ornatissimo.

22. *Asyla alia sunt sacra, alia profana.* Ex his colligimus leges Asylorum esse antiquissimas. Dividi autem possunt Asyla, siue loca refugii in sacra, & profana. Sacrorum principem locum tenent Ecclesiæ, in quibus causæ sanguinis agitari non debent, nec inde reus criminis potest extrahi, ut habetur in 3. Decr. tit. 49. cap. *Cum Ecclesia*, & cap. *Inter alia*. Idem extant in C. de his, qui ad Eccles. l. 13. & 14. neque adimitur privilegium immunitatis Ecclesiæ non consecratæ; quia locus Divinis obsequiis dedicatus nullus est temerariis ausibus profanandus. Ita, caput, *Ecclesiæ, in qua Divina*, ejusdem tit. 49. Extenditur immunitas ad Cæmeteria, & loca Ecclesiæ adhaerentia juxta c. 35. *Disinivit*, Causa xvii. q. 4. Distantia tamen passuum ibidem determinata ad passus triginta, absque domorum extranearum receptaculo, est à locorum consuetudine, usuque petenda. Polluto tamen atrio vel cæmeterio Templum interius minime violatur, quoniam immunitas amplianda est, violatio autem restringenda,

da, juxta regulam xxii. in fine 6. Non debet, & juxta Juris axiomata, Beneficium eſt interpretandum largiſſimè; Odiâ reſtringi, favores convenit ampliari. Hoc aſyli privilegio minime fruuntur publici latrones, nocturni depopulatores agrorum, & qui obſident publicas ſtratas aggreſſionis inſidiis; inquit Innoc. III. cit. cap. Inter alia. Item nec qui in iſſis Eccleſiis, vel earum cæmeteriis homicidia, & mutilationes membrorum committere non verentur, eo quod *frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem*, ut habetur cap. Immunitatem Eccleſiaſticam, ejusdem tituli 49. poſtremo. Adduntur Conſtitutione Gregorii XIV. Cum alias, confirmata & ampliata à Benedic- to XIII. & Clemente XII. qui *proditorie proximum ſuum occiderint, aut aſſuſini, vel hæreſis, aut læſe majeſtatis in perſona ipſiusmet Principis rei.*

23. Aliqua Ba-
pſteria Pri-
vilegio Aſyli
gaudent.

Gaudent eodem aſyli privilegio Ba-
pſteria, quæ ſunt alicubi à Templis
ſejuncta, ut Romæ quod appellatur
Conſtantini, Senis conſtructum ad ra-
dices Cathedralis, Piſis elegantiffimum
extra fores majoris Templi, Florentiæ
ſitum è regione Cathedralis Eccleſiæ,
Martis olim fanum. Sacroſancto Bap-
tiſterii loco etiam à barbaris, ferocibus-
que hominibus reverentiam quamdam
exhibitam ſcribit lib. 2. H. E. cap. 8.
Evagrius. Ipſummet jus aſyli conſeca-
ta ſunt Episcoporum Palatia ex Conc.
Aurelianenſi l. c. 3. & ex Cap. Id con-
ſtituimus, 36. xvii. q. 4. omnibus pror-
ſus Jurifconſultis fatentibus, ut inquit
Cardinalis Thuſeus v. Immunitas;
Concl. lxx. n. 24. De Domibus Emi-
nentiffimorum S. R. Eccleſiæ Cardina-
lium extat Conſtitutio Leonis Decimi,
& omnium pariter DD. conſenſus. Ac-
cedunt Hospitalia auctoritate Episcopi
erecta ex definitione Urbani IV. cap.
Ad hæc 4. de Religioſis domibus, tit. 36.
lib. 3. Similiter quælibet virorum, ac
mulierum Monasteria; de quorum am-
pliſſimis exemptionibus legantur Bulla
Pii IV. Dum ad uberes, anno 1566.
emanata, aliorumque Romanorum Pon-
tificum Conſtitutiones.

24. Cultores
Idolorum
Aſyla ſacra
æſtimant.

Eſt autem ſacrorum locorum aſylum
tanta æquitate ſtatutum, ut illius ratio-
nem habuerint etiam idolorum cultores.
Religio enim erat ad ſupplicium non
trahere confugientes ad templa, aras-
que Deorum. Memorat S. P. Auguſti-

nus in primo de Civit. Dei. cap. iv.
Aſylum Junonis, demonſtrans quanto
majoris ſecuritatis illo, quod elegerat
Græculorum avaritia & ſuperbia, ſint
ſacra Chriſtianorum Aſyla, memoriæ
ſcilicet Apoſtolorum, quibus etiam Bar-
bari pepercerunt. Magna quippe viſ
auri è Vaticano ſurrepta jufſu Halarici
reddita eſt, auctore in vii. Hiſtor. Oro-
ſio. De aſylis Gentilium accipiendum
illud Plauti in Moſt. Aſt. v. ſc. i. Ego
interim banc aram occupabo; feſtivum-
que alterum Juvenalis Satyra 14.

*Faluſ erit teſtis: vendet perjuriam
ſummâ
Exiguâ, Cereſis tangens aramque,
pedemque.*

Verum de hiſ plura Georgius Ritters-
huſius. Hunc morem confugiendi ad
aras derivatum ex legibus Hebræorum
inferitur ex Cap. xxi. Exodi v. 14. &
ex cap. i. libri iiii. Regum v. 50. Ea-
propter Græcorum more etiam Rex
Demetrius Templo Judæorum jus dedit
aſyli, lib. i. Mach. cap. x. v. 43. De
Aſylo Delubri Hierocaſarienſis viden-
dus Tacitus in tertio Annalium.

25. Varia recen-
ſentur Aſyla.

Hiſ perſugii locis, quæ tam fideles,
quam Ethnici habent inviolabilia, &
quæ ſacra dicuntur, addit aſyla pro-
pria ac profana jus Romanum, vel Gen-
tium. Romulus aſylum conſtituit inter
Palatium & Capitolum, lucum quem
veteres appellavere Quercetum: Vir-
gilius viii. Aeneid.

*Hinc lucum ingentem, quem Romu-
luſ acer aſylum
Retulit, & gelida monſtrat ſub
rupe Lupercal.*

Datum olim jus aſyli ſtatuis quoque, ac
ſepulcris Principum, ut Athæniſ Theſei,
Romæ Julii Cæſaris. Eſt & refugii lo-
cus propria domus, præſertim apu-
Græcos, quorum pervulgatum illud eſt,
Oikos φίλος, Oikos ἀσος, Domus amica,
domus optima. Civem de domo ſua
extrahi non poſſe, habetur ff. De in jus
vocand. l. 19. quæ tamen lex fallit in
criminalibus. Hujus aſyli præ cæteris
Italæ rigidi defenſores habendi ſunt,
quomodo patet ex libro i. Statuti pa-
tria lingua conſcripti cap. 217. finitimi
noſtri Lucenſes. Atque de Immunita-
te, & Aſylo.